

xisset in causam et penderet causa huiusmodi coram eo, prout erat legitime probare paratus, nec esset ab ipso archiepiscopo per appellationem vel alio legitimo modo recessum, per litteras eiusdem legati ad abbatem directas eundem, quae de hoc non faciebant aliquam mentionem, conveniri de iure non poterat nec debebat. Et quia praefatus abbas huiusmodi exceptionem legitimam admittere contra iustitiam denegavit, episcopus ipse Misnensis sentiens ex hoc indebite se gravari ad nostram duxit audientiam appellandum. Cum autem idem W. Lubucensis episcopus viam sit universae carnis ingressus et dilectus filius Guill. tunc canonicus Lubucensis ad regimen Lubucensis ecclesiae prout asserit sit assumptus, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus si est ita revocato in statum debitum quicquid post appellationem huiusmodi inveneris temere attemptatum¹⁾, causam ipsam ad eiusdem archiepiscopi, alioquin ad eiusdem abbatis remittas examen, appellantem in expensis legitimis condempnando. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Datum Lugduni XII. Kalendas Martii pontificatus nostri anno secundo.

M. de Rocca.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Bleisiegel an hänfener Schnur.

1) *attemptum* Orig.

No. 221. 1274. 21. März.

B. Withigo genehmigt die vom Decan zu Magdeburg und Domherrn zu Meissen M. Walther bewirkte Stiftung seines Jahrgedächtnisses in der Domkirche.

Nos Withigo dei gratia Misnensis episcopus recognoscimus et tenore praesentium protestamur, quod pensata fidelitate ac servitiis, quae magister Waltherus Magdeburgensis decanus, noster concanonicus, multipliciter nobis et ecclesiae nostrae inpendidit, duas marcas pensionis annuae, quae dabuntur de quatuor mansis sitis in Proudewe^{a)} iuxta agros capellae sanctae Mariae Magdalенаe in castro Misne, quas a nobis sua comparavit pecunia, ipso postulante ac consensu nostri capituli accedente, dedimus ecclesiae Misnensi perpetuo purae proprietatis titulo possidendas, ut de ipsis suis anniversarius peragatur. Quas ad manus executorum sui testamenti de facto iam simpliciter resignavit, dans eis liberam potestatem ordinandi de ipsis dictum testamentum, prout saluti animae praefati magistri Waltheri cum in vita tum post mortem convenientius ac magis eis videbitur expedire. Ut autem haec firma et inconvulsa permaneant, nec ab aliquo successorum in posterum super ipsis ulla suscitetur quaestio nocitura, praesentem paginam in testimonium desuper conscribi fecimus et sigilli nostri ac capituli Misnensis appensionibus roborari. Actum anno dom. M°. CC°. LXX°. III°. XII°. Kalend. Aprilis pontificatus nostri anno octavo.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den an Pergamentstreifen hängenden Siegeln des Bischofs und des Capitels.

a) Pröda, Par. St. Afra.